



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus LXXXII. De reconciliatione conjugum factô divortiô déque  
restitutione dotis, & filiis alendis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

Ex dictis colliges, uxorem à viro recedentem ob nimiam castigationem, & verberationem, ab eo alendam esse; secus si castigatio sit moderata; quia in priori casu culpa mariti est; in posteriori verò culpa est uxoris; cum viro uxorem corrigere, & moderatè ex causa punire, permissum sit, *citt. l. rei judicatae &c.* talis namque inter illos Societas est, qualis inter patrem, & filium, non verò qualis est inter mancipium, & dominum.

## CASUS LXXXII.

*De reconciliatione Conjugum, factò divortio, deque restitutione dotis, & filiis alendis.*

**L**Eander maritus Leontiam uxorem suam de commissò adulterio convictam, factò divortio, è domo ejicit non amplius recipiendam, nulla eidem dote restituta, qui cum postea & ipse in adulterium incidisset, idque Leontiae innotuisset, cupit hæc, & petit Leandro marito reconciliari.

*QUÆR. I. An, si Leander post factum per sententiam Judicis divortium ob adulterium uxoris, & ipse adulterium postea committat, teneatur reconciliari uxori volenti, ac petenti, & ad eam redire adulterii causâ prius dimissam?*

*QUÆR. II. An Conjux innocens factò per sententiam Judicis divortio, & manente utriusque Statu immutato cogere possit adulterum invitum, ut sibi reconcilietur, teneaturque is reconciliari?*

*QUÆR. III. An ob adulterium tam occultum, quàm notorium liceat conjugii innocenti propria autoritate divortium facere, nullâ expectatâ Judicis sententiâ?*

QUÆR. IV. An, & quando, factò ob adulterium divortio, dos uxori restituenda sit, & à quo conjugè educandi, atque alendi sint filii?

473 **A**D 1. Q. Satis convenit inter DD. si, factò divortio, adulterium committatur etiam ab innocente ante sententiam, vel antequam hæc transeat in rem judicatam, eò quòd elapsum non sit appellationis tempus, eum obligatum esse conjugi ob adulterium dimissæ reconciliari; quia, tunc æquè reus est, ac altera, & quidem ex pari delicto, sicque delicta mutuò compensantur, ac proinde compellendum esse redire ad conjugem causâ adulterii dimissam. Sed

474 Difficultas, & controversia non levis est inter DD. an ad id obligetur, si innocens in adulterium lapsus est, postquam sententia divortii transit in rem judicatam. Ubi

Complures Theologi, & Canonistæ cum Soto *dist. 36. q. un. a. 6. ad 3.* Durand. *quæst. 2. a. 2.* Sylv. *V. divortium. q. ult.* Henriq. *l. 11. cap. 17.* Th. Sanch. *de matr. l. 10. D. 9.* Laym. *l. 5. tr. 10. 3. p. cap. 7.* Innoc. *c. De illa, n. un. v. de aliis de divort.* Abb. *C. fin. n. 5. de adult.* aliisque, censent, adulterum dimissum non posse dimittentem repetere, neque dimittentem obligatum esse in conscientia reconciliari dimisso; esse tamen integrum Judici, ut ex officio suo eos conciliet, & cogat, ut periculo fornicationis consulatur, quò suò

officiò uti potest tum in publicam utilitatem, & miserabilium personarum, tum quia adulterium superveniens præjudicat rei judicatæ ob periculum animæ.

Ratio negativæ opinionis est. 1. Quia quod benè definitum est, minimè est retractandum, *C. quod Benè 6. caus. 6. q. 4.* 2. Quia servitus semel amissa non renascitur, *C. Quæris de consecr. d. 4. leg. Sticum, §. aream. ff. de solution.* servitus autem conjugis innocentis amittitur lata divortii sententia: ergo eo postea adulterante non renascitur. 3. Quia conjugem repetenti obstat exceptio rei judicatæ, quàm abolere non potest adulterium commissum post transitum sententiæ in rem judicatam. 4. Quia divortii sententia absolvit innocentem à debito conjugalitatis Societatis, dissolvitque contractum Matrimonii quoad jus thori, & habitationis, manente vinculo, & consequenter sic dimissus, jus ad thorum, & in corpus alterius non ampliùs habet, atque adeò per adulterium postea commissum, non fit ipsi injuria, quamvis reus fiat adulterii coram Deo ob vinculum Matrimonii perseverans.

Oppositam sententiam afferentem posse in tali calu agi ad Matrimo-

trimonii redintegrationem, & ad petitionem partis cogendum esse innocentem, factum postea nocentem, nocenti dimisso reconciliari, obligatosque esse in conscientia hanc prestare reconciliationem quolibet volente, tenent cum Gloss. in cap. ex litteris de divort. Navar. l. 4. conf. conf. 1. de divort. in 2. edit. n. 2. Covar. p. 2. de sponsal. c. 7. §. 6. Petr de Soto de matrim. lect. 12. Molina tom. 3. D. 95. Coninch D. 35. dub. 2. Paludan. d. 35. q. 1. a. 2. Palao tr. 28. D. 3. p. 6. §. 6. Fagnan. in C. ex litteris cirt. n. 6. Host. ibid. n. 2. Gonzal. ibid. n. 3. Wistn. n. 89. Schmier p. 2. de Matr. c. 5. n. 109. Reiffenst. n. 87. Schmalzgr. de divort. n. 134. alique complures. Moventur 1. Quia Conjuges jure divino nequeunt separari, nisi ratione fornicationis: ergo si uterque fuit fornicatus, debent iterum conjungi, quia sic delicta compensantur; nec refert, quod fornicatio admissa sit post divortii sententiam, quia sententia hominis non aufert jus divinum compensationem adulteriorum admittens; imò nil tam naturale est, ut ait cirt. Sanch. D. 5. n. 23. quam delictorum compensationem admitti. 2. Quia divortii sententia minimè præbere debet aniam adulterandi: ergo si innocens, in cujus favorem lata est sententia, postea adulteretur, reddendus est alteri. 3. Quia sententia divortii tacitam includit conditionem in

favorem innocentis, nisi ipse velit conjugem adulterum repetere: ergo in favorem adulteri includitur etiam tacita conditio, si innocens continens fuerit, quo proin adulterante illa non subsistit: imò non est in poenam posterioris adulterii, sed ex ipsa natura contractus matrimonialis provenit, quod hanc tacitam conditionem includat, ut altero non servante fidem, liceat alteri ab altero divertere, & utroque conjugue fidem frangente, compensentur delicta: ergo quamprimum & innocens labitur in adulterium, potest alter petere reconciliationem, & ille eam admittere tenetur etiam non expectatâ Judicis sententiâ.

Ex duabus hisce sententiis magis 476  
arridet posterior tanquam verior, ac probabilior, quæ maximè ex eo roboratur, quod sententia divortii ob adulterium ab altero conjugue commissum non det jus innocenti ab eo divertendi, sed jus, quod ex adulterio acquisivit, declaret, ut eò publicè uti possit: atqui jus divertendi ex adulterio quæsitum innocenti, est duntaxat conditionatum, si & quamdiu actor est innocens: ergo eo facto nocente cessat prædictum jus, ac proin obligatus est reconciliari, sicut obligaretur, si adulterium commisisset ante latam sententiam; aliàs neque teneretur innocens restaurare Matrimonium, si post divor-

divortium propria autoritate institutum, ipse etiam adulterium committeret, si scilicet dictam jus non esset ita conditionatum: atque adeo etiam sententia adjectam hanc conditionem habebit, qua proin cessante reus agere poterit ad redintegrationem Matrimonii, quia quando cessat causa, ob quam sententia lata est, agenti non obstat exceptio rei judicatae, ut notat Bartol. in l. si fullo 2. ff. de condit. sin. caus. n. 1. Unde

Ad argumenta pro priori sententia allata R. ad 1. id intelligendum esse de retractatione ex iisdem causis, quod scilicet id, quod semel, rite definitum est, non sit retractandum ex illis causis, ex quibus fuit definitum; secus si nova causa superveniat; neque hæc dicenda propterea est prioris sententiæ retractatio, sed potius novæ causæ decisio.

Ad 2. R. Servitatem semel amissam non redire, nisi hæc ex nova causa contrahatur; secus si ex nova causa contrahatur, ut patet in servo manumisso, qui, si iterum in bello justo capiatur, potest rursus in eandem servitatem redire. Cum ergo post sententiam adulterium sequatur, per quod innocens nocens factus est, idcirco servitus, seu obligatio antiqua, ex qua ob suam innocentiam, & alterius delictum exemptus erat, iterum redit, sicut

ridiret, si denuò adultero reconciliaretur.

Ad 3. R. Exceptionem rei judicatae semper quidem nocenti obstare, ne possit in dubium revocare sententiam latam, sed ei nullatenus obstare, quin ob aliam causam denuò supervenientem litem intentare, & novam sententiam exigere possit; quia quando cessat causa, ob quam sententia lata est, agenti non obstat exceptio rei judicatae, ut supra notatum est ex Bartol. l. c. prout fit, quando adulterium etiam ab altero commissum est.

Ad 4. Negatur, quod sententia divortii impediat, quo minus adulterium postea commissum injuriosum sit conjugi dimisso; sententia enim divortii tantum eximit ab obligatione thori, & cohabitationis; non autem ab ea, quæ conjuges prohibentur aliis copulari; nam hoc ne fiat ab innocente, dimissus jure suo petit, consequenter si fiat, injuria eidem infertur; atque adeo poterit illam injuriâ injuriâ à se factam compensare; possuntque hæc omnia retorqueri in divortio autoritate propria instituto ex adulterio notorio; nam sententia, ut dictum est, non tribuit novum jus, sed quæsitum declarat.

Ad 2. Q. putarunt non pauci cum Hug. relato à Gloss. C. ex literis, 477.

teris. V. redire de divort. Soto, 4. d. 36. q. un. a. 5. ad 3. Et Navar. l. 3. Conf. conf. 38. n. 1. in 1. edit. non esse obligatum Conjugem adulterum reconciliari innocenti acceptanti divortii sententiam, etsi innocens velit ultrò nocenti reconciliari, sed posse conjugem innocente inconsulto, & etiam invito de suo Statu disponere Religionem ingrediendo, vel S. Ordines suscipiendo &c. Rationem dant 1. quia innocens dimittendo adulterum dimisit jus suum, quod in ipsum habuit; remittentibus autem jura sua non est dandus regressus, *libr. quaritur 14. §. si venditor 9. ff. de Edilit. edit.*

2. Quia sententia divortii cum à Matrimonio omninò separet, manente solo vinculo, utrumque Conjugem æquè absolvit ab obligatione cohabitandi, & debitum reddendi, aliàs claudicaret, nec servaret æqualitatem Justitiæ: ergo sicut innocens non tenetur admittere adulterum petentem reconciliationem, ita è contra. 3. Quia sententiæ semel latæ, quæ utrique libertatem concessit, Standum est, dum à superiore non retractatur, *C. quod semel, 6. q. 4. Nihilominus*

478 Longè probabilior, veriòrque est sententia affirmativa docens, posse innocentem, quamdiu Status utriusque est omninò immu-  
*R. P. Leonardelli Soc. Jesu,*

tatus, cogere adulterum, ut sibi reconcilietur, eumque per se obligatum esse, reconciliationem admittere, etiamsi sententia divortii præcesserit. Ita D. Thom. in 4. dist. 35. q. un. a. 6. ad 3. D. Bonavent. 2. un. q. 5. Sanch. l. c. D. 10. n. 3. Palao D. 3. p. 6. §. 7. Coninch. D. 35. dub. 5. Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. Durand. Baludan. Sylv. Ledesm. aliique communiter tum TT. tum Juristæ apud Sanch. l. c. Ratio est; quia sententia divortii non plus juris innocenti, vel nocenti confert, quàm quod eis competit ratione adulterii commissi, cum sit tantum illius juris declaratoria: atqui adulterium non eximit nocentem ab obligatione reddendi debitum, & cohabitandi cum innocente, si ipse velit, sed hanc exceptionem innocenti concedit in recompensationem injuriæ sibi factæ, & fidei violatæ: ergo quodcumque innocens volet, sibi nocentem reconciliari, & ab eo debitum conjugale, mutuanque habitationem exigere, tenebitur nocens obedire.

2. Quia, cum sententia divortii sit solùm in favorem innocentis, & in odium adulteri, non est in damnum innocentis, & favorem adulteri retorquenda, *C. quod ob gratiam 61. de R. J. in 6. & l. quod favore 6. C. de legib.* Atqui ita retorqueretur; quia concederet adultero immunitatem conjugalis obligationis.  
U u u gatio-

gationis, & innocentem privaret jure in corpus adulteri:

Conf. quia sententia non debet prodesse reo, contra quem lata est, *l. evidenter 16. ff. de except rei judic.* nec debet adulter ex suo delicto commodum reportare, *l. itaque, ff. de furt.* Accedit, quòd aliàs præberetur, conjugibus ansa fornicandi, ut sic diverterent immunes, & liberi à pristina servitute.

Hæc tamen obligatio, quâ conjux nocens tenetur redire, si repetatur, & Statum non mutare, durat solùm, dum reconciliationis subest spes, ut cum aliis citat. notat Coninch *l. c. Concl. 4. n. 26.* nam ea deficiente liberum illi est Statum mutare, ingrediendo Religionem, vel S. Ordines suscipiendo &c. ut si adulter emendatus sæpiùs reconciliationem petat, & innocens denegat; quia per ejusmodi denegationem tacitè satis innuit, nolle unquam sibi nocentem reconciliare; hac enim spe sublata, injustè, & irrationabiliter vellet, ut nocens de Statu suo semper suspensus existat, & expectet, ut notant citat. AA. & colligitur ex *C. gaudemus de divors.*

Porrò dixi suprà per se obligatum esse nocentem ad innocentis consortium redire; quia excusari poterit per accidens, v. g.

ratione prudentis timoris mortis sibi inferendæ, aut iniquæ transactionis, ingentis sævitæ, &c.

Ad argumenta suprà in contrarium proposita, R.

Ad 1. n. quòd innocens per divortii sententiam ullum jus amittat, aut remittat, sed potiùs adulter jus, quod priùs in innocentem ex Matrimonio habuit, amittit innocente conjuge volente; manente tamen obligatione priore, quâ nocens non est liberatus, nisi consecutivè, scilicet quamdiu non fuerit revocatus ab innocente.

Ad 2. Negatur pariter, sententiam divortii utrumque absolvere, sed innocentem solùm absolvit in favorem ipsius, & in odium nocentis; & hinc hoc ipso non debet hîc servari æqualitas, nam inæqualitas, ut faveat innocenti contra reum, semper invenitur in sententia justa; æqualitas enim servanda, ut justa sit, ea est, ut unicuique reddat, quod suum est.

Ad 3. Patet responsio ex dictis; non enim sententia utrique conjugi, sed soli innocenti libertatem concessit, ac proinde cum innocens sibi adulterum conciliat, non contravenit sententiæ, sed non vult uti favore per illam sibi concessio.

Ad

479 Ad 3. Q. An divortium propria autoritate institui possit, non expectatâ Judicis sententiâ? Negant plures cum Innoc. in C. intelleximus 6. fin. de adult. Gabr. in 4. D. 35. q. un. a. 2. Concl. 6. Gonzal. in C. 3. n. 8. prop. fin. h. tit. judicium Ecclesiæ postulantes ex his rationibus. 1. Ex C. Saculares 1. caus. 33. q. 2. ubi excommunicari jubentur Viri, qui uxores suas sine judicio Ecclesiæ dimittunt. 2. Ex textu C. porrò 3. h. tit. ubi expressè negatur, separationem conjugum absque judicio Ecclesiæ fieri posse, etiam cum Parentela sive Consanguinitas publica, & notoria est. 3. Quia iniquum videtur, quemlibet in sua propria causa Judicem esse. 4. Quia divortium est pœna nocentis, quam jus ipsò factò non imponit, sed Judici remittit imponendam. 5. Quia Matrimonium, cum sit Ecclesiæ autoritate celebratum, debet quoque autoritate Ecclesiæ, & non ipsorum conjugum, dissolvi.

Alii id concedunt, si adulterium sit notorium; negant verò si sit occultum. Sed

480 Melius, ac veriùs dicitur, licere conjugi innocenti ob adulterium tam notorium, quàm occultum, secluso scandalo, divortium propria autoritate facere, tam quoad thorum, & debiti redditionem, quàm quod mutuam cohabitatio-

nem, saltem pro foro conscientiae. Ita Paludan. in 4. d. 35. q. 1. a. 3. Concl. 3. Sylv. V. divortium, q. 8. Covar. p. 2. c. 7. §. 5. Henriq. l. 11. c. 17. Coninch D. 35. n. 2. Palao D. 3. p. 6. §. 4. Rebell. l. 2. q. 17. Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. cap. 7. Wiestn. n. 76. & seqq. Clericat. de Sacr. Matr. decis. 39. n. 31. Gasp. Hurtad D. 11. diffic. 6. n. 21. alique plures cum, & apud Sanch. l. 10. D. 12. à n. 5. 14. 31. & seqq. Quoad adulterium notorium probatur. 1. Ex C. significasti de divort. ubi ratihabetur unius conjugum recessus ab altero ob adulterium propria autoritate factus, si notorium est, mulierem adulterium commisisse, &c. 2. Ex cap. ex parte de sponsal. ubi dicitur: Nemini licet uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere: ergo stante manifesta causa fornicationis licita est dimissio, neque uxor dimissa restituenda est, sicuti docet Gloss. C. fin. V. fornicationis de adult. & colligitur ex C. de Benedicto 5. Caus. 32. q. 1. & C. de illa 6. h. tit. Etenim cum delictum notorium est, perinde est, inquit cit. Pal. ac si publica sententia, & judicio reus damnatus esset.

Quoad adulterium verò occultum, quando hoc publicè quidem occultum est, sed innocenti privatim certò cognitum. Prob. ex eo, quòd adulterium ex natura sua non aliter obliget ad thorum, & redditionem debiti conjugalis, nisi

U u u 2

sub



sub conditione, si etiam alter conjux fidem conjugalem servet, seu carnem suam in alienam non dividat *C. quemadmodum 25. pr. de Jurejur.* ergo si alter hanc fidem non servet, sed carnem suam in alienam dividat, cessat in innocente obligatio per contractum Matrimonii contracta, sicuti cessat quælibet alia promissio, cessante conditione, sub qua tacite facta est; & quidem, cum negatio debiti sit actus privatus, privatim etiam, & autoritate propria fieri potest. Unde in divortio innocens propriè non sibi jus dicit, sed jure à Matrimonii natura sibi concessio utitur, quod jus Ecclesia, approbando Matrimonium, approbare censetur.

Confirmatur, ob adulterium notorium, (sive notorietas illa sit facti, sive sit juris) licet Conjugi innocenti propria autoritate à nocente divertere: ergo æquè ei licebit in foro conscientiae ob adulterium secretum; quippe jus divertendi non ex publicitate, sed ex delicto nascitur; publicitas enim solum requiritur ad vitandum scandalum: Unde scandalo cessante, quomocunque innocenti de adulterio certò moraliter constet, possidet ille jus divertendi, ac pro foro conscientiae divertere potest, quia in hoc foro non tenetur quisquam contractus fidem servare ejusdem fidei violatori. Unde & Christus *Mat. 5. & 29.*

absolutè dixit, licitam esse dimissionem conjugis propter adulterium, non distinguens inter publicum, & occultum.

Dixi porrò pro foro conscientiae; nam in foro externo ex causa adulterii, nec notorii nec legitime probati uxorem dimittens, eam recipere compellendus est, ne hominum malitiae præbeatursansa conjugum innocentiam ejusmodi dimissione injustè vexandi, qua restitutione facta, seu conjugum dimisso ad pristinum Statum restituto, agetur de alterius exceptione, & probato adulterio divortium celebrabitur; Quod si in probatione defecerit innocens, cogetur in Matrimonio perseverare.

Dixi 2. Si adulterium innocenti privatim certò cognitum sit; nam si innocens non est de adulterio moraliter certus, sed dubius duntaxat sit, vel solum suspicio probabilis de illo habeatur, nullatenus potest propria autoritate ab altero divertere, ut passim notant DD. & apertè colligitur ex *citt. C. ex parte &c. & C. dixit Dominus 32. q. 1.* & ratio est; quia antequam habeatur moralis certitudo de adulterio, saltem per præsumptionem violentam (qualis intelligitur in *citt. C. dixit.*) ortam scilicet ex circumstantiis cum fornicationis actu ferè semper conjunctis, fundantibus mo-  
ralem

ralem certitudinem, alter conjux manet interim in sua possessione, & jure, quò privari non potest, cum in dubio melior sit conditio possidentis. Porrò talem certitudinem habere cenlebitur conjux innocens, ut notat cirt. Palao, si pro adulterio talia indicia habeat, quæ in judicio externo probata fuissent, ut Judex divortii sententiam proferre posset; quippe conjux innocens recedens ab altero, quasi sententiam profert. In particulari autem esse solum cum cum sola tempore, & loco ad peccandum apto. v. g. in eodem lecto, sufficiens utique adulterii indicium, est, præsertim si unus conjugum sit suspectus, vel aliàs malè diffamatus, prout dicitur in *cap. litteris de præsumpt.* Oscula tamen, amplexus, & tactus præcisè, licet plures DD. apud Sanch. l. c. censeant sufficere ad separationem, probabiliùs tamen, ac veriùs oppositum docent cirt. Sanch. & Palao cum aliis, nisi ex aliis etiam concurrentibus circumstantiis aggravetur præsumptio, v. g. si exercentur in loco abdito, & secreto, ubi facillè copula haberi posset, aut à personis aliàs suspectis; quia ex hujusmodi actibus, præsciendò ab aliis circumstantiis, neque ex natura rei, neque aliqua lege adulterium plenè probatur. Amatorix quoque litteræ ad hanc separationem sufficiunt, quæ à muliere Missæ sunt amasio, & in iis

adjungitur Confessio adulterii præteriti, ut cum aliis notat cirt. Pal. nam esto, Confessio ista, utpote extrajudicialis non plenè delictum probet ad faciendum divortium in judicio per sententiam Judicis, sufficit tamen hæc probatio ad faciendum divortium extrajudicialiter, & auctoritate propria, utpote ad quam faciendam minor probatio requiritur, ut notat cirt. Palao. Itò juxta eundem Pal. Sanch. n. 51. & Guttier. n. 12. sufficit, ut conjux innocens dividertere possit, si de sui Conjugis adulterio, seu de illius violento judicio, certior fiat à persona fide dignissima, cui meriò prudentissimus quisque fidem haberet; quia illud dictum certitudinem moralem præstat.

Ad argumenta in contrarium allata, R. ad 1. *C. seculares*, non loquitur de dimissione ex causa adulterii, cujus notitia certa habetur; sed de illo, qui uxorem demisit ratione sævitix, aut sine graviore culpa, vel probabili causa, animo ad illicita consortia accedendi. Secùs in adulterio, quod jute naturali divortio causam præbet.

Ad 2. R. textum illum non de divortio quoad thorum, & cohabitationem loqui, sed de matrimonii dissolutione quoad vinculum, & libertatem alteri copulandi; quæ res cum gravissima

Uuu 3

fit,

fit, & gravioribus exposita periculis, meritò Ecclesiæ judicium requirit, ut notant citt. Palao, Sanch. Coninch, & alii.

Ad 3. R. Innocentem suo discessu non tam sibi jus dicere quàm uti jure suo, sibi ex natura Matrimonii certò competente, & nulla lege sibi adempto; prout colligitur ex *C. dixit citt.*

Ad 4. R. Divortium non esse propriè pœnam, ut patet ex dictis, sed quasi conditionem imbitam in Matrimonii contractu, si alter conjux fidem conjugalem fervet, quæ conditio, cum sit in favorem innocentis, sufficit, ut innocens adulterii, seu violatæ fidei conscius, adulterum jure privet, debitum exigendi.

Ad 5. R. id procedere pro foro externo, secùs in foro interno, ubi spectatur natura contractus matrimonialis, qui, ut dictum est, ad thorum, & cohabitationem non obligat, nisi sub conditione, si etiam ab altero conjuge fides matrimonialis servetur. Secùs si data fides violatur.

482 Ad 4. Q. An dos, factò divortio ob adulterium, restituenda sit uxori adulteræ? R. Negativè; nam inter pœnas uxoris adulteræ, ea est; ut dotem perdat, Viròque accrescat, *C. plerumque de*

*dotat. inter Virum, & uxorem. l. consensu 8. §. hac nisi 4. & §. seq. C. de repud. Novell. 117. c. 8. §. 2. & tradit communis DD. ut sic aliqua compensatio fiat pro gravissima offensa, quam innocens per adulterium passus est; si tamen uxor adultera filios habeat ex eodem, vel alio Matrimonio, tunc maritus, dum vivit, utumfructum illorum bonorum habet, sed eo mortuo succedunt filii in bonis adulteræ; ut ex jure communi probat Barbol. l. 2. p. 1. in princ. n. 62. ff. soluto Matrim. & colligitur ex citt. Novell. 117. c. 8. V. si enim filios.*

Vicissim uxor ob Viri adulterium lucratur donationem propter nuptias, (scilicet eam, quæ fit à Viro uxori pro securitate dotis) citt. *leg. consensu, §. si verò C. de repud. & Auth. liceat matri, & avie. §. quia verò plurimas, v. si de adulter. & tradit communis cum Gloss.*

Præterea, si divortium non culpa uxoris, sed viri factum sit, restituenda est uxori dos, ut manifestè colligitur *ex cap. 1. de don. inter vir. & uxor. & docet Abb. cum Bald. in cap. 1. ut lite non const. & insuper restituenda est medietas lucrorum, usque ad divortii tempus, ut habetur cap. significavit, & tradunt Covar. 4. decret. 2. p. c. 7. §. 1. Ant. Gomez leg. 53. tauri n. 72. Palao D. 3. de spons. p. 6.*

p. 6, §. 10. Gutier. l. 1. Canon. 99. cap. 24. aliique apud cirt.

Porrò suprà dicta intelligenda sunt de dote constituta ex bonis propriis ab adultera, vel ab alio quidem, sed ita ut soluto Matrimonio, non ad dotantem, sed ad ipsam redire debuisset.

Item de amissione dotis post Judicis sententiam; est enim pœna, illa dotis amissio, ut ex communi docet Sanch. l. c. n. 13. ac proinde sententiam Judicis postulat: ubi rectè notat, maritum, si certus sit de adulterio uxoris, in conscientia foro posse retinere dotem, defendendo se contra uxorem repetentem, per exceptionem; nam cui competit actio, eidem à fortiori exceptio competere debet, *reg. 7 r. in 6.* Id tamen, uti notat Laym. l. 3. tr. 4. cap. 13. Operatur Judicis sententia, ut maritus dotem irrevocabiliter lucretur, ita ut quamvis post Judicis sententiam & ipse fornicatus fuerit, dotem tamen semel sibi acquisitam restituere non teneatur.

483 Ad 2. Q. 4. Memb. à quo filii, factò divortio, educandi sint, & alendi? R. spectato jure novo Authentic. Liberos, factò divortio, educari, & ali debere apud Conjugem innocentem alterius expensis, ita scilicet, ut si pater causam divortii dedit, apud ma-

trem liberi nutriantur patris expensis; si verò mater; apud patrem alantur, matris expensis, nisi pater minus idoneus sit; tunc enim apud matrem locupletem filii educandi, atque alendi sunt, uti habetur expressè *Authent. si pater Cod. divortio factò.* ac *Novell 117. c. 7.* & docent Palao *D. 3. p. 6. §. 10.* Sanch. l. c. D. 20. n. 2. Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. aliique, limitantes tamen id 1. quando culpa, Viri factum est divortium, & mater transit ad secundas nuptias; tunc enim proles non relinquatur educanda matri, sed patris expensis, si locuples sit, educanda, & alenda est apud eum, quem Judex arbitratitur, ut cum aliis notat Sanch. l. c. si verò mater causam divortii dedit, ipsaque locuples sit, & pater pauper, matri relinquuntur filii alendi; quia pater, ut ait *Authent. minus idoneus est, id, quod expressè deciditur Auth. ut liceat matri, & avia, §. illud collat. 8.*

Limitant 2. nisi conjux innocens, qui causam divortio non dedit, sit infidelis; is verò, qui causam dedit, sit fidelis, tunc enim in favorem fidei, ne proles in infidelitate educetur, tradenda est alteri conjugi fideli. *C. fin. de convers. infid.*

Porrò si divortium neutrius culpâ fiat, uti quando fit mutuo consensu,

sensu, vel culpâ utriusque factum est, tunc rectè censent Sanch. l. c. n. 10. Palao l. c. cum aliis, servandum esse jus commune Codicis latum in leg. nec filium, Cod. de patria potestate: Ubi Statuitur, filios minores triennio apud ma-

trem, majores verò apud patrem ejusdem expensis alendos esse, nisi Judex aliud fuerit arbitratus, juxta leg. unic. Cod. de divortio facto, quod nulla alia lege mutatum reperitur.

## C A S U S LXXXIII.

*De delectatione copula sub conditione habita, deque jactantia peccati commissi, & turpibus verbis.*

**J**actantius homo vitæ dissolutæ, morumque pessimorum, cum à pluribus annis non fuisset confessus, hoc anno, adveniente tempore Paschali Pachomium Confessarium adit, eique inter alia confitetur, non solum se sæpius delectasse de copula cogitata cum Flora, si esset sua Uxor, sed etiam coram aliis sæpè verbis turpibus se jactasse de copula cum eadem Flora, & pluribus aliis habita. Unde Pachomius de his dubitans

*QUÆR. I. An delectatio Jactantii de copula cum Flora cogitata sub tali conditione peccatum sit mortale?*

*QUÆR. II. An Jactantius ita se laudando, & jactando graviter deliquerit?*

*QUÆR. III. An, & quando verba turpia proferre, vel audire sit in solutis peccatum mortale, aut libros turpes, & obscænos legere?*

484 **A**n te 1. Q. Resolutionem notandum est duplicem esse delectationem, unam appetitûs rationalis, qui est voluntas, & dicitur gaudium, estque simplex voluntatis motus, & complacentia quædam, ut notat S. Th. 1. 2. q. 31. a. 4. Alteram